



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 97. Dissidium circa successionem in Lotharingæ Ducatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

§. XCVII.

Sæcul. XV.
A. C. 1431.*Controversa in Lotharingæ Ducatum
successio.*

Anno præcedente Carolus Lotharingiæ Dux, cum sine prole mascula decederet, nullum status sui hæredem reliquit: Inde acerrima de successionis jure contentio mota est inter Antonium Valdemontii Comitem defuncti Ducis fratrem, & Renatum Andegavensem, qui jam antea Barrensem Ducatum obtinuerat. Antonius Lotharingiam ad masculos tantum devolvi contendebat; Renatus vero, qui Isabellam Caroli filiam tertio genitam matrimonio junctam habebat, uxorio nomine succedendi jus prætendebat, eo quod reliquæ duæ Caroli Filia hæreditati paternæ renunciaffent. Burgundiæ Dux, cum Andegavensem Domum sibi suisque plusquam vatiniano odio infensam omni conatu infectaretur, Antonio suppetias venit, accito etiam Sabaudia Duce, quocum foedere junctus erat. Igitur Valdemontius horum copiis auctus, inter Bunevillam, & Novum-castrum in Lotharingia prælium committit, fortuna adeo sibi propitia, ut Renati exercitum ingenti clade profligaret, Barbazana insigni Belliduce in acie occiso, ipsoque Renato capto, qui Divionem ad Burgun-

Hist. Eccles. Tom. XXVI. S s diæ

Sæcul. XV. diæ Ducem delatus, usque ad Annum
 A.C. 1431. Domini millesimum quadringentesimum
 trigesimum septimum captivus detine-
 batur.

§. XCVIII.

*Cardinalis S. Crucis in Italiam
 reversus.*

Cum intra hunc annum Eugenius Papa
 Cardinalem S. Crucis, alias Alberga-
 tum dictum, in Gallias ablegasset, ut pa-
 cem inter utrumque Regem conciliaret,
 is vero, cum animos ad concordiam re-
 vocare desperaret, in Italiam remeavit.
 Neque enim post importunas, easque re-
 petitas preces, totque labores, sumptus,
 ac propriæ vitæ pericula haud amplius
 impetrare poterat, quam ut sex annorum
 induciæ decernerentur; sed & illæ pau-
 lo post ab Anglis violatæ fuerunt, quam-
 vis hi culpam in Francos conjicerent.
 Furor autem bellandique libido, quæ u-
 tramque nationem invaserat, licet An-
 glorum res semper in deterius ruerent,
 Cardinalem compulit, ut Galliis excede-
 ret, relicta apud omnes magna sui vene-
 ratione, recusatisque cunctis utriusque
 Regis muneribus, atque beneficiis.

§. XCIX.